KOSPOTHIANAE ORATIONIS SOLEMNIA,

PROXIMA JOVIS,

FELICITER RECVRRENTIA

INDICVNT,

ET,

VT IISDEM BENEVOLI INTERSINT,

OMNES ACADEMIAE PATRONOS,

FAVTORES, CIVES,

HVMANITATE ET AFFECTV DEBITIS,

INVITANT,

RECTOR ET SENATUS
REGIAE ACADEMIAE REGIOMONTANAE.



REGIOMONTI
LITERIS REUSNERIANIS.



Pud antiquisſimas jam gentes uſu receptum legimus, ut propinqui, amici, clientes, certo ſtatoque die, eorum memoriam, ſollemni ritu celebrarent, a quibus ſingularia in ſe beneficia derivata ſenſerant. Nam et ſepulchra adibant, floribus tumulos conſpergebant, alligatis eosdem taeniis ornabant, cereos accendebant, epulas apponebant, unguenta libabant ac vina, varioque honoris, quo poterant, genere, gratam erga manes beneficos recordationem teſtificabantur. Nec eſt, quod ethnica tantum ſuperſtitione imbutos talia factitaſſe credas, cum in primitiva quoque eccleſia a nonnullis natales praecipue S. Martyrum dies, quibus confesſionem fidei ſanguine ſuo ſubſignarant, inſtitutis conviviis anniverſariis, celebratos, ex eccleſiaſticarum hiſtoriarum monumentis pateat. Cujus quidem inſtituti abuſum, etſi minime defendendum ſuſcipiam, cum ſaepe ad temulentiam usque inter pocula progresſi ſint; non omnino tamen reprehendenda videtur occaſio ejus, et promta oſten-

dendi



dendi erga mortuos, bene de Ecclesia, Christianae constantiae exemplo, meritos, affectus sui propensio. Longe vero justius Regiomontana Academia Maecenatum suorum memoriam annuis sollemnitatibus recolit, dum liberalitatem eorundem, utili magis pompa, et litteratis symposiis, id est, publicis orationibus, serae posteritati commendat, quibus et dicentium stilus et ingenia ad omnem futurum dicendi usum ac rationem formentur, et eorum, in quorum recordationem dicitur, laudes et encomia ab interitu et oblivione vindicentur.

Cum itaque quartus post hodiernum dies praedicandae quartum *Kospothianae* munificentiae destinatus sit, qua *Perillustris et Generosissima Femina, LOYSA CHARLOTTA, Vidua KREYTZIA, Nata KOSPOTHIA*, Regiomontanas sibi Musas aeternum devinxit, introducetur in cathedram publicam Pereximius et optimae indolis adolescens, *Jacobus Ernestus Habnius*, Regiomonte Borussus, I. U. Cultor industrius, ex lege illustris stipendii, orationem declamaturus, qua, hoc Regiomontani mercatus tempore, non

alie-

alienas merces exponet, ſed propriae induſtriae ſpecimen exhibiturus eſt. Nam et materiam orationis ipſe ſibi ſelegit, captata, a feſta die proxima, dicendi occaſione, ſelectam diſpoſuit, diſpoſitam elaboravit, et oratorio cultu ipſe veſtiit. Dicet autem de *reliquiis S. Johannis Baptiſtae*, quas Romano-Catholica Eccleſia hodieque ſupereſſe venditat, et ſumma religione maximisque caerimoniis oſtentat, ac veneratur. Quae cum oppido dubiae, imo falſae ſint fidei, convertet deinde orationem ſuam ad munificentiae Kospothianae reliquias, quas liberaliſſima Illuſtris Stipendii Auctor Muſis teſtamento legavit.

Adeſte itaque, qui incrementis Academiae, qui litteris et laudabilibus optimorum juvenum conatibus favetis, et audite benevole dicturum; addituri ita novum induſtriae ſtimulum, ad conficienda ſpatia illa, quae, auſu praeclaro, ingreſſus eſt. Adeſte & vos, Cives, & Commilitonis induſtriae, frequentia ſolita, applaudite. P. P. XI Cal. Jul. A. N. C. CIƆ IƆ CC XXII.